



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Visio cuiusdam Senis commorantis in Sciti, & de Abbate Irenæo. Capvt. L.V

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Vita monachorum Scitotarum, & de Seno Ammonio.

C A P V T. LIIII.

V Enimus Postea Teremithen ad Abbatem Theodorum Alexandrinum. Aitque nobis senex: Filioli, multum euera perdidit Scitotæ monachi iuxta senū prædicationem. Credite enim mihi, filij, quia magna erat claritas apud Scitotas, magna abstinentia, magna discretio. Vidi ego illic senes, qui nisi quis ad eos venisset, nunquam sumebant cibum. Inter quos erat senex quidam, Ammonius nomine, iuxta me manens. Cuius ego sciens consuetudinem, per omne sabbatū ad illum veniebam, ut propter aduentum meum sumeret cibum. Habebant hi omnes generaliter, quod quacunque hora accederent ad eos, aliqui, permittebant illos orationem facere, illisque orantibus, ipsi mensam apponebant, & continuo cibū sumebant.

Visio cuiusdam Senis commorantis in Sciti, & de Abbate Irenæo.

C A P V T. L.V

A B B A S Irenæus narrauit nobis de seno quodam commorante in Sciti, quod diabolum viderit noctu sarculos, rastros, scopulos præbentem fratribus: Dixitque diabolus: Quid ista sunt? Respondit diabolus: Diligentiam fratribus præparato, ut his occupati, sit negligentiores ad orandum, & glorificandum Deum.

I Dem Abbas Irenæus narrauit nobis dicens: Iterum: Cum venissent Barbari in Sciti, recessi inde, & veni in partes Gazzæ, acceperunt me in cella-

cellulam in monasterio. Abbas verò ipsa die dedit mihi librū ad legendum, in quo senum gesta scripta erant. Moxq; ut aperui librū, occurrit oculis capitulū istud, Quod venerit quidam frater ad senem, dixeritque illi: Ora pro me pater: dixerit autem illi senex: Cum esses nobiscum, orabā pro te; nūc autē, ex quo in propria abiisti, nō iā oro pro te. Vt ergo legi ego capitulum istud, plicui librum, & dixi in me ipso: Vē tibi, Irene, quia in propria venisti, nec iam orant pro te patres. Moxque librū Abbati restituens recessi, & veni in loca ista. Et hæc mihi causa fuit, filioli, veniendi in hunc locum.

Vides, quòd oratio, & glorificatio Dei displicet dæmoni. Ergo placet Deo, iuxta illud: Nō potestis Deo servire, & Mammonæ.

Vita Ioannis discipuli Senis magni, qui morabatur in vico Caparasima.

CAPVT LVI.

PTOLOMAIS ciuitas est Phoenicis. In hac vicus est, qui dicitur Caparasima. In eo vicus senex quidam erat magnus, habebatque discipulum, Ioannem nomine, & ipsum magnum, singularisque obedientiæ. Quadam ergo die misit senex discipulum suum in ministerium, dans ei & modicos panes pro victu suo. Profectus est autem discipulus, & completo ministerio rediit, retulitq; panes. Videns autem senior panes ait ei: Fili, quare non comedisti panes, quos dedi tibi? Prostratus ille coram, senex dixit ei: Ignosce mihi pater: Quia nō benedixisti mihi, cū mitteres me, ut cibum sumerē, idcirco non sumpsi. Admirat⁹ que senex discretionē fratris benedixit eum.

AD hunc fratrem post dormitionē senis, cū ieiunaret XL dieb⁹, vox facta est diuinic⁹ dicens:
Z 4 Super